



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Compositio rationis concedi potest, in rebus simplicibus admittentibus
distinctionem ac multiplicitem rationis in re fundatam. cap. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

potentiam passiuam respectu ipsarum, & principium mutationis: nunc autem quia necessario est idem prorsus cum ipsis, & cum actionibus personalibus, nec habet potentiam ad ipsas, nec principium mutationis: At respectu suppositi creati habet distinctionem realem: & cum illud sit aliquo modo actus profecto accessu eius subiret mutationem, & consequenter haberet potentiam passiuam; quæ est principium, & fundamentum mutabilitatis.

Compositio rationis concedi potest in rebus simplicibus admittentibus distinctionem, ac multipliciter rationis in re fundatam.

C A P V T XIII.

1.

Quoniam est etiam controuersia inter Theologos an admitti possit in Deo compositio rationis, videndum prius vtrum sit, & quid sit? & quidem in rebus actu minime distinctis dari posse compositionem rationis doctores communiter admittunt, sed circa eius condiciones est opinionum diuersitas, quas vt expendam suppono compositionem rationis distinctam à compositione actuali consistere proprie in actu intellectus copulantis prædicatum subiecto. Verum eiusmodi compositio à nemine negabitur: hoc enim admittitur etiam inter nomina synonyma, vt patet in propositione identica, qua idem prorsus per affirmationem sibi ipsi componitur, & ideo datur etiam in terminis diuinis: nec de hac sermo est, sed de illa, quæ saltem per denominationem extrinsecam redundet in rem, ita vt composita dici possit saltem virtute, ac fundamentaliter tanquam obiectum vnius rationis intellectualis adæquatæ resultantis ex pluribus quasi partialibus, & in adæquatis: quomodo nõ denominatur ex compositione enunciativa: non enim ex eo, quod aliquis mente dicat, *substantia est substantia, vel Deus est Deus*, denominatur Deus, vel substantia composita: siquidem ad rationem compositionis denominantis rem compositam requiritur aliqua distinctio inter partes, ex quib. compositio coalescit: in his vero compositionibus essentialibus non est discrimen secundum rationes formales, & obiectiuas: nam sub eadem omnino ratione percipitur obiectum conceptu habente se ex parte sub-

iecti, sub qua percipitur eo, qui se habet ex parte prædicati. Ex quo deinde colligitur ea, quæ nequeunt apprehendi pluribus conceptibus in adæquatis non synonymis, nullo modo admittere compositionem rationis: etenim ad omnem compositionem requiritur multiplicitas, est enim compositum vnum ex multis: quare ad compositionem rationis requiritur multiplicitas rationum; hæc vero non datur, vbi haberi nequeunt plures conceptus non synonymi de eodem obiecto.

Hoc statuto de communi sententia sequitur vt aliæ condiciones expendantur. Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus ad argumenta Aureoli, quem sequitur Soucinus ibidem, & 4. Metaph. q. 28. duas præcipue exigit. Prima est, vt omnis compositio rationis reducatur ad aliquam realem, in eaque fundetur altera, vt interueniat in ipsa ratio potentia, & actus. Prior sumitur ex discrimine, quod statuit inter Deum, & speciem compositam ex genere, ac differentia: nam ideo negat in Deo compositionem rationis, quia in ipso non est vlla compositio realis, ad quam reducatur, sicut est in specie composita ex genere, ac differentia. Quæ responsio supponit ad compositionem rationis omnino requiri, ac supponi realem, à qua defumatur, alioquin impertinens est solutio: nam, si compositio rationis nõ supponit realem, adhuc esse in Deo poterat, & si in ipso non esset realis. Id vero ex Diu. Thoma colligere sibi videtur Capreol. nam Diu. Tho. q. 3. de verit. art. 2. ad 3. ita habet: *Pluralitas rationis quandoque reducitur ad aliquam diuersitatem rei, sicut Socrates & Socrates sedens differunt ratione, & hæc reducitur ad diuersitatem substantia & accidentis, & similiter homo, & animal ratione differunt, & hæc differentia reducitur ad diuersitatem materie, quia genus sumitur à materia, differentia vero specifica sumitur à forma.* Ex quibus verbis colligitur de sancto Thoma multipliciter, & compositionem rationis, quæ datur in specie fundari in multiplici- tate reali materie, ac formæ, ex quibus defumuntur gradus metaphysici. Potest autem suaderi, quoniam compositio omnis requirit aliquem modum saltem virtualem actus, & potentia: vbi autem non interuenit vlla distinctio, & compositio actualis, non potest concipi ratio actus, & potentia ratione distincta: quare ad compositionem rationis necessario supponitur compositio realis. Maior propositio ostenditur, quandoquidem in compositione rationis debent interuenire, si non actu secundum rem, virtute tamen, ac secundum

ratio-

rationem ea, quæ interueniunt actu in compositione reali: in hac autem re ipsa reperitur ratio actus, & potentie in partibus actualiter distinctis: ergo in illa dari debet ratio actus, & potentie secundum rationem in partibus virtute distinctis: intellectus enim concipere nequit plures rationes per modum vnius, nisi concipiat aliquas ex his tanquam determinabiles per modum potentie, alias tanquam determinantes per modum actus. Assumptio patet: nam, vt conceptio eiusmodi non sit vana, & inepta, opus est, vt ex parte obiecti habeat fundamentum, & respondeat in ipso aliqua perfectio, vel entitas, cui secundum se non repugnet determinabilitas: hoc autem fieri nequit absque suppositione alicuius distinctionis, & compositionis actualis: vbi enim nulla est distinctio actualis, non potest fundari ratio determinantis, ac determinabilis.

III. Posterior vero ostenditur. Primo quoniam in omni compositione id, quod est, vel concipitur per modum partis, habet annexam negationem, saltem præcisionis, perfectionis propriæ alterius partis: hoc autem posito necessario intelligitur ratio potentialitatis: nam per compositionem vnius partis cum altera vtraque, vel saltem vna sit particeps perfectionis alterius, quæ ipsa non claudit in se in fine in sua ratione formali: & consequenter habet rationem potentie respectu illius, siquidem secundum se caret illa, & est apta nata perfici per illam. Secundo, quoniam licet fortè sit aliqua compositio, in qua partes non videantur habere inter se inuicem rationem actus, & potentie, vt fortè res habet in partibus continui, omnes tamen respectu totius habent rationem materiæ, ac proinde potentie: quia perfectius quid est totum, quam partes: & ideo respectu ipsarum habet rationem formæ: vt ex Aristotel. ostendi cap. in omni vero compositione, etiam rationis compositum est quid perfectius saltem ratione, quam sint componentia: nam perfectior est homo, quam animal, aut rationale seorsum sumpta, perfectior item est vis mentis nostræ secundum omnia tria genera operationum mentalium, quam secundum vnum tantum ipsorum. Et singulæ partes minus perfectionis continent, quam compositum: nam maxima illa Mathematicorum. *Omne totum est maius sua parte*, non solū est vera in toto quantitatiuo, sed proportionem seruata in quouis composito, omne enim compositum continet partem, & aliquid am-

plius secundum quoduis genus compositionis: nam, si sit reale, plus entitatis erit in toto, quam in singulis partibus, si vero sit rationis, plures rationes erunt in toto, quam in singulis componentibus, aliter intelligi nequit ratio componentium, & compositi: ex quo etiam colligitur componentia inducere rationem incompleti, quandoquidem singula sumi debent saltem sub abstractione præcisionis à perfectione aliarum, ac totius: vbi vero ex pluribus rationibus aptis conuenire in constitutionem vnius perfecti, atque completi concipitur vna line alijs, ea non potest habere rationem completi, atque perfecti, sed comparatione totius est inadæquata, atque incompleta. Ex quo tandem concluditur necessario debere interuenire modum aliquem potentialitatis, nam ratio inadæquata, & incompleta complenda per accessum alterius, vel aliarum necessario intelligitur sub negatione aliarum, & aptitudine ad complementum totius: in his vero duobus consistit ratio potentialitatis: vbiunque enim interuenit carentia formæ, & aptitudo ad ipsam, potentialitas est, vt discurrenti per singula perspicuum fiet.

Dico primum: ad compositionem rationis requiritur, ac sufficit multiplicitas cum vnitatem per se. Vt hæc ostendatur, oportet obseruare vnum, & multa opponi, ita vt omnino repugnet eandem rem esse simul vnum, & multa simpliciter: & consequenter, si in re aliqua sit simul multiplicitas, & vnitatem, necessario erit multiplicitas secundum quid, & vnitatem simpliciter, ac vice versa vnitatem secundum quid, multiplicitas vero simpliciter, vnitatem autem per se, semper est vnitatem simpliciter: quæ vel sumitur à forma vna simplici, & tunc coherere nequit etiam cum multiplicitate actuali secundum quid, vel à forma vna per compositionem, & tunc admittit multiplicitem secundum quid. Nam, cum compositio sit quasi simulpositio, oportet vt sint plura, quæ ponantur, & sit vnum, in quo simul ponantur, ex quo sequitur sublata ratione plurium partium, quarum singulæ contineant aliquid non contentum alijs, & ratione vnius omnes, ac singulas continentis, esse, vel intelligi minime posse rationem compositionis: aut compositi: econtra vero ijsdem positis necessario vtramque existere: etenim plura claudi vno, aut vnum fieri ex pluribus aliter non contingit, quam via compositi-

IV.

onis: id enim, cuius unitas ex compositione non pendet, semper manet unum, etiam si compositio dissoluatur: quod vero intelligi nequit unum absque plurium adunatione, non nisi compositione unum est. Hæc suo modo applicari possunt compositioni rationis, ex qua resultat ratio una ex pluribus secundum quid, in qua necessario datur multiplicitas rationum, & unitas alicuius per eas constituti: multiplicitas admittitur communiter à doctoribus referendis tractat. sext. capit. 6. numero secund. & ita à Capreolo non negatur, imo recte defenditur aduersus argumenta Aureoli ipsum impugnantis in Deo: sed de Deo infra, nunc autem absolute loquendo non repugnat rem eandem concipi sub diuersis rationibus actu minime distinctis, ut concipitur species cum diffinitive cognoscitur secundum gradus Metaphysicos, ut concipitur punctum sub ratione finis, ac principij, & sexcenta alia. Posse vero interuenire unitatem constat, quoniam mens apprehendere potest unam rationem obiectiuam adæquatam, quasi constitutam ex multis rationibus inadæquatis illi intrinsecis, quomodo concipitur natura diffiniti per diffinitionem mentalem, non enim intellectus tendit in partes diffinitionis, quasi in rationes disparatas, atque discretas, sed in unam naturam diffiniti coadunatas, & sic concipit unum, & plura: unum per modum totius, atque compositi: plura per modum partium. Eodemque modo se res habet, cum intellectus concipit plures rationes quasi coniunctas, & intrinsecas uni rationi adæquatæ. Ex quo discursu confirmatur proposita assertio: Fieri nequit ut intelligatur multiplicitas cum unitate absque compositione: sed in plerisque rebus datur multiplicitas rationum inadæquatarum cum unitate unius rationis integræ, atque adæquatæ ex omnibus constitutæ: hic autem non interuenit compositio realis, quæ solum datur, cum partes distinguuntur ex natura rei: ergo necessario erit compositio rationis.

V.

Dico secundum compositio rationis non necessario supponit realem, in qua fundetur. Hæc est de mente doctorum, quos referam capite sequent. numero 4. Probatur vero, quoniam, ut patet ex prima assertionem, ubicunque datur multiplicitas cum unitate est compositio: in plerisque autem carentibus omni distinctione reali datur multiplicitas rationum cum unitate: ergo ad compositionem rationis

non necessario supponitur compositio realis, qua fundetur. Assumptio patet, quoniam compositio ex genere, ac differentia, quam rationis esse Capreolus admittit, non solum reperitur in ijs, quæ constant materia, & forma, sed in rebus etiam expertibus Phycicæ compositionis, verbi gratia, in substantijs separatis, & accidentibus tam spiritualibus, quam corporalibus: in quibus non potest ostendi aliquid ex natura rei distinctum, ex quo desumatur ratio generis, & aliud, ex quo eliciatur ratio differentia: sed in una, eademque entitate reperit intellectus sufficientem veritatem obiectiuam, ut formare possit distinctos conceptus, siue rationes formales coadunatas in vnicam, & adæquatam rationem formalem obiecti. Accedit, quod ad multiplicitem rationum formalium non requiritur multiplicitas actualis rerum, sed de una re simplicissima formari possunt plures rationes: ergo ad compositionem rationis non requiritur compositio actualis. Patet consequentia, quoniam eadem est proportio multiplicatis secundum rationem ad actualem, quæ est compositionis secundum rationem ad compositionem actualem: atque adeo, si multiplicitas rationis non necessario supponit actualem, nec compositio supponet.

Nec vero Diuus Thomas fauet illo modo Capreolo: in primis quia eo loco *VI. s. Thom.* non agit de compositione, nec asserit compositionem rationis supponere realem, sed loquitur de multiplicitate, ut patet ex ipsius verbis. Neque vult multiplicitem rationis semper fundari in multiplicitate reali, imo oppositum, subdit enim: *Quandoque vero differentia secundum rationem non reducit ad aliquam rei diuersitatem, sed ad unitatem rei, quæ est diuersimode intelligibilis.* So um vero loquitur de multiplicitate opposita simplicitati: nam postquam dixit quandam multiplicitem rationum reduci ad diuersitatem rei, idque exemplis ostendit, sub ungit: *Falsis differentia secundum rationem repugnat maxime unitati, ac simplicitati:* Illam vero alteram, cui non respondet diuersitas in re, censet non repugnare: & ideo concedit Deo: & ita locus hic nihil ad compositionem facit, quoniam non loquitur de ea, sed de multiplicitate: & quemadmodum ad hanc non necessario exigit diuersitatem rei, ita neque ad compositionem rationis exigit compositionem rei. Deinde vero sanctus Thom. non ait multiplicitem generis, ac differentia sumi semper à multiplicitate

actua-

actuali materia, ac forma, sed loquitur in subiecta materia, hoc est in compositione hominis, cuius genus, ac differentia sumuntur ex ipsius materia, ac forma: quod sat erat ad proponendum exemplum multiplicatis secundum rationem repugnantis simplicitati, quod erat intentum S. Thomae, hoc ipsum indicauit q. 7. de potent. ar. 3. in corpore: nam, cum dixisset similiter in homine naturam sensibilem, ex qua sumitur ratio animalis, esse materialem respectu rationis, ex qua sumitur differentia rationalis, ita concludit, *unde in omni eo, quod est in genere, oportet esse compositionem materiae, & formae, vel actus, & potentiae*: qua distinctione significatur posse esse compositionem actus, & potentiae, & si non interueniat compositio materiae, & formae. Argumentum in confirmationem eiusdem rei inductum soluitur dicendo, siue ratio actus, & potentiae per se requiratur ad compositionem rationis siue non, absq; suppositione tamen distinctionis, & compositionis actualis in re composita secundum rationem posse reperiri diuersitatem rationis in partibus sola ratione distinctis: ut perspicuum est in compositione rerum spiritualium, & accidentium ex genere, ac differentia: in hac enim genus habet rationem potentiae, differentia actus: nec tamen hac diuersitas reducitur ad distinctionem, aut compositionem actualem: & ideo admissa interim maiore prepositione, neganda est assumptio. Ad cuius probationem respondeo, ut non sit inanis conceptio rationum partialium alterius per modum potentiae, alterius per modum actus, non requiri plures res actu distinctas, quarum vna habeat rationem actus, altera potentiae: sed sat esse vnam, eandemque rem, quae secundum vnam rationem sit in potentia, ac determinabilis, secundum alteram sit actus, ac determinans: ut reuera est quauis species composita ex genere, ac differentia: nam, quatenus respondet rationi genericæ, est determinabilis, quatenus conceptui differentiae est determinans: & ita ex hoc capite non necessario requiritur, ut res, quae dicitur composita secundum rationem, sit etiam composita realiter.

VII. Dico tertium. Ad compositionem rationis minime requiritur actualis, aut virtualis ratio potentiae, aut incompleti. Hac etiam est de mente eorum, quos referam cap. sequent. numero quart. Fundamentum est, quoniam ubi adest multiplicitas, & vnitas non potest non intelligi compositio eiusdem ordinis cum eo, ad quem pertinet multiplicitas, & vnitas: atqui datur

multiplicitas rationum formalium simul cum vnitate absque ratione actus, & potentiae: ergo datur compositio rationis absque eisdem. Maior propositio patet ex prima assertionione. Assumptio quoad rationem actualem potentiae per se patet: quoniam ubi non est vlla distinctio ex natura rei non potest esse propria, & actualis ratio potentiae passiuæ: quoad virtualemente vero ostenditur, quoniam ad virtualemente multiplicatam sat est continere eminenter plura actu distincta: ad vnitatem vero sufficit, ut mens obiectum plura eminenter continens, pluribus rationibus conceptibiliter coniunctis concipiat per modum vnus: quæ duo dari possunt absque virtuali ratione actus, ac potentiae. In primis multiplicitas, ut ipsemet Capreol. tenetur admittere: nam in Deo concedit virtualemente multiplicatam absq; vlla prorsus etiam virtuali ratione potentiae. Et facile suadet, nam ad multiplicatam sufficit subiectum eminenter continens plura actu distincta, ad virtualemente vero rationem actus, & potentiae, non sufficit, ut in vna, eademque re simplici contineantur eminenter plura distincta ex natura rei, quorum alterum sit potentia, respectu alterius, alterum vero actus: etenim diuina essentia eminenter continet plures creaturas, quæ inuicem comparatæ habent rationem actus & potentiae, & tamen nemo dixerit Deum esse virtute potentiam passiuam, seu habere virtualemente rationem potentiae passiuæ: siquidem potentia passiuæ etiam virtualis includit imperfectionem, ut constat in omni ratione generica, respectu differentiae specificæ: nam, cum non distinguantur inuicem ex natura rei in genere coniuncto differentiae non est actualis ratio potentiae passiuæ: quia tamen distinguuntur ratione ratiocinata, & genus secundum propriam rationem vniuocam consideratam reperitur in distinctis speciebus separatim ab alijs differentijs, etiam coniunctum habet virtualemente rationem potentiae, respectu differentiae contrahentis: quoniam per illam ita contrahitur, determinatur, ac perficitur, ut si actu distinguerentur, differentia vere esset actus realis adueniens rationi genericæ, tanquam potentiae passiuæ ipsius. Posse vero absq; ratione potentiae passiuæ virtualis consistere vnitate vnus rationis adæquatæ ex multis constat ostenditur: quoniam, sicut mens pluribus conceptibus distinctiuis concipit per modum vnus compositum constans ex partibus actu distinctis, poterit etiam pluribus rationibus mentalibus concipere per modum vnus obiectum

virtute multiplex: nam ob sui maximam unitatem magis repugnat diuisioni, quam unitati, quare, si quod re vnum est, potest animus distinguere pluribus rationibus, siue habeant se per modum actus, & potentiae, siue non, multo magis poterit sub illis omnibus concipere idem obiectum per modum vnius ex illis omnibus constituti, quod inter eiusmodi rationes nulla sit per modum potentiae. Et confirmatur, quoniam neque ad omnem compositionem actualem necessario requiritur ratio potentiae vnius partis respectu alterius, sed solum respectu totius, ut videre est in partibus continui, quae proprie loquendo inter se non habent rationem potentiae, vel actus, sed solum respectu totius habent aliquem modum potentiae, quatenus unitas assumuntur ad esse totius, quod est perfectius, ac formalius, quam sit esse partium: quare de ratione compositionis secundum rationem non erit virtualis ratio potentiae vnius partis ad aliam. Nec vero etiam respectu compositi: quandoquidem ratio potentialitatis in partibus respectu totius confluit in eo, quod esse imperfectum ipsarum perficitur, & actuatur quodammodo ipso esse totius: at esse plurium rationum virtualium eiusdem rei simplicis, non est imperfectum, aut perfectibile per ipsum esse totius imò est ipsum esse totius sub ratione aliqua formali inaequata: verbi gratia cum dicimus sapientiam diuinam, dicimus ipsum esse diuinam subsistens sub ratione formali sapientiae: & ideo haec ratio non concipitur ut imperfecta, aut in potentia ad aliquod esse, sed ut perfecta secundum esse diuinum sub sua ratione formali.

VIII.

Observandum tamen est, licet in compositione rationis non necessario requiratur virtualis ratio potentiae, interuenire tamen ex defectu nostri intellectus in concipiendo aliquid ipsi simile: nam potentia passiva significat indifferentiam rei ut perficiatur actu a se quoquo modo distincto, ita ut ex vi propriae rationis intrinsecae non repugnet esse absque illo, quomodo se habet ratio generica ad differentiam specificam: nam quis, quatenus illi identificatur, nequeat ab illa se iungi, potest tamen considerata secundum propriam rationem formalem intrinsecam abstrahendo à singulis differentijs: fieri autem potest, ut plurium rationum formalium virtute differentiū nulla possit ab altera separari secundum proprium conceptum, atque adeo sublata indifferentia tollitur propria ratio potentiae. Verum, quemadmodum in potentia passiva est negatio actus, saltem praesens, &

indifferentia, ut sit sine ipso, ita in vno ex pluribus ratione distinctis interuenit negatio praesens alterius: nam, quatenus obiectum praesens terminat conceptum sub ratione vnius perfectionis, non terminat sub alia, exempli causa punctum, quatenus concipitur ut principium vnius lineae, non concipitur ut finis alterius: & ita in ipso ratio principij habet negationem saltem praesens rationis finis. Item, quemadmodum potentia passiva requirit indifferentiam in ipso obiecto, cui conuenit, ita ratio vna habet aptitudinem & indifferentiam, ut concipiat vel sola per se, vel simul cum alijs per modum plurium constituentium vnum: quae indifferentia non est ad coniunctionem cum alijs secundum esse actuale, fieri namque potest, ut cum illis re ipsa necessario copuletur: sed secundum esse cognitum ab intellectu, secundum quod in intellectu viatoris non necessario coniungitur. Ex quo consequenter efficitur, ut plura sola ratione distincta possint habere conceptibiliter rationem partium, quatenus singula secundum proprias praesens rationes non adaequant vnicam perfectam rationem obiecti, quatenus vero concipiuntur coadunata in vnam rationem adaequatam ex omnibus constitutam possint habere conceptibiliter rationem totius, & compositi: & ita sine ratione potentiae, etiam virtuali ex parte obiecti intelligi potest ratio compositionis secundum rationem: quoniam sine ratione potentiae concipi potest multiplicitas, & unitas secundum rationem.

IX.

Sed inquireret aliquis quomodo resultet haec unitas plurium rationum mentalium: nam ipsae secundum se, cum sint qualitates numero distinctae, & vna non habeat rationem potentiae respectu alterius, non vniuntur per se realiter, sed solum per accidens in subiecto, cui insunt: quae coniunctio non facit ad unitatem, de qua nunc agimus: quandoquidem hoc modo rationes obiectorum disparatorum possunt vniiri, nec tamen proinde dicuntur coadunari in vnam ex ijs compositam. Item coniunctio per affirmationem non sufficit, ut iam supra dixi: nec vlla alia se offert. Ad huius dubij solutionem, notandum compositionem rationis, de qua sermo est, non esse secundum esse reale ipsarum rationum mentalium, ut probant rationes inductae: sed secundum esse intellectum, ita ut obiectum, quatenus interuentu plurium rationum habet esse intellectum multi-

multiplex, & vnum denouetur conpositum secundum rationem, & ita vnitas ad eiusmodi compositionem necessaria non fundatur in vnitate reali ipsarum intentionum mentalium, sed in vnitate obiectiua sub esse intellecto: quapropter duo ad ipsam requiruntur, vnitas obiectiua materialis, & formalis sub esse intellecto: requiri materiale patet, quoniam ea, quæ nullo modo habent vnitatem in se, si secundum intentiones mentales coniungantur, non dicuntur vnum secundum rationem, nisi cum addito, hoc est vñu signum: quapropter, quoniam partes chymæræ, quas intellectus concipit adunatas in vnum compositum, non habent coniunctionem, aut vnitatem obiectiuam materiale, chymæra non dicitur simpliciter vnum, sed vnum signum. Non sufficere autem vnitatem obiectiuam materiale patet: nam, si duas rationes habentes à parte rei aliquam coniunctionem, & vnitatem intellectus non concipiat vt coniunctas, sed vtamque per se sine ordine ad aliam, nequaquam erit compositio rationis: exempli causa à parte rei datur compositio subiecti, & accidentis coniunctione candoris cum niue: & tamen si intellectus concipiat vtamque conceptibus respondentibus his nominibus, *Nix, candor*, nequaquam erit compositio rationum, quoniam conceptus formæ in abstracto nō apprehendit compositionem eius ad subiectum, & ita non est in mente conceptibiliter: ex quo factum est, vt diffinitiones, quibus explicatur essentia diffiniti tanquam compositi ex pluribus partibus essentialibus, nō tradantur per nomina abstracta: nō enim dicimus homo est animalitas rationalitas, vel homo est animal rationalitas, quia neutro modo significantur partes, vt cōiunctæ, in diffinitionibus autem phisicis, licet partes ponantur in abstracto, non predicantur tamen in recto, sed in obliquo, semper enim præmittitur aliquid per modum subiecti, in quo vnitas intelligantur, & ita dicimus homo est substantia constans corpore, & animo rationali, qua oratione significantur duæ illæ partes coniunctæ in eadem re, & eodem modo intelliguntur per conceptus respondentes eidem orationi: quia ergo nō repugnat obiectu actui, & potentia indiuisum concipere pluribus conceptibus, intelligibiliter coniunctis, ita vt non attingatur obiectum disparatè sub singulis rationibus, sed etiam cōiunctè, cum scilicet conceptiones terminantur ad plures rationes virtuales obiectiuas, vt coniunctas, & non solum representant singulas secundum se, sed ipsam

quoque coniunctionem, siue identitatem obiectiuam ad eum modum, quo diffinitio mentalis representant partes diffiniti, & ipsarum connexionem, conceptus vero compositi accidentalis subiectum ipsum, & formam cum coniunctione vtriusque.

Ex dictis patet solutio ad primum argumentum in contrarium: nam potentialitas respondet compositioni vnus partis cum alia: & in ijs, quæ sola ratione distinguuntur, hæc compositio fit solum per intellectum, & ita non est absurdum, vt rationes formales intellectus, quibus respondent obiectiue virtuales, habeant suo modo potentiam, vt inuicem copulentur: siquidem modo seorsim, modo simul concipiuntur, ex hac autem potentialitate nulla colligitur imperfectio obiecti, sed intellectus inadæquatè concipientis, & rationum ipsarum formalium, quarum singulæ deficiunt à perfecta representatione obiecti in se. Ad secundum respondetur, si rationes partiales sint necessario coniunctæ cum alijs componentibus, & habeant idem esse cum toto, non per modum participationis, vt habent partes actuales, sed ex se, naturaque sua, non requiri ad rationem compositionis ex eiusmodi rationibus vllam rationem potentie passivæ, in vlla ratione obiectiua partiali, quandoquidē, si per impossibile fingeretur esse per se sola, deberet vëdicare idē omnino esse, q̃ habet simul cū toto: & hoc modo se res habet in perfectionibus diuinis virtute distinctis: etenim, si p impossibile quis concipiat dari hanc diuinam sapientiam quoad conceptum adæquatū ipsius absque alijs perfectionibus adiunctis, adhuc subsisteret per ipsum esse diuinum, quomodo nunc subsistit: quando enim ratio obiectiua ita se habet, nō perficitur per rationem totius, vt cæteræ partes, quæ secundum suos conceptus non vendicant esse perfectum. Ad rationem vero in oppositum respondeo solam maiorem perfectionem compositi secundum rationem non arguere potentialitatem partis secundū esse obiectiuum, sed solum secundū esse intellectum: quoniam non est vlla maior perfectio actualiter, sed solum conceptibiliter: quatenus idem obiectū modo cōcipitur sub vna ratione formali adæquata ex pluribus cōstituta, nunc vero sub vna tantum ratione inadæquata, quæ modo apprehenditur sub ratione præcisa alterius perfectionis, ac totius, modo cum illis coniuncta: hoc autem nullā arguit imperfectionem in obiecto: nā aptitudo ad esse extrinsecum quod absq; mutatione

X.

subiecti denominati accedit, ac recedit, nihil imperfectionis inuoluit, nihil enim accrescit, vel decrescit obiecto ex eo, quod possit aliter, atque aliter apprehendi ab intellectu, similiter obiectum ipsum dici non debet perfectius, aut imperfectius, completum, vel incompletum, sed magis, vel minus perfecte, adæquate, vel inadæquate conceptum, vnde tota hæc diuersitas formaliter est in ipsis rationibus mentalibus, extrinsecè vero, ac denominatiuè in obiecto: quemadmodum multiplicitas actualiter est in conceptibus ipsis, extrinsecè, ac denominatiuè in obiecto. Ex hoc autem non sequitur vlla potentialitas in ipso obiecto, namque ad rationem potentialitatis necessario exigitur carentia actus, & indifferencia ad ipsum, & eius priuationem: quæ duo non necessario interueniunt, quotiescunque est multiplicitas solum secundum rationes formales ab intellectu conceptas, & negatio præcisionis secundum ipsas cum aptitudine coniunctionis intellectualis: namque in diuinis, vt patet ex superioribus, est multiplicitas rationum formalium cum negatione præcisionis, & aptitudo vt concipiantur per modum plurium adunatorum, siue etiam vnius ex pluribus constituti: nec tamen est vlla potentialitas etiam virtualis: quia in nulla prorsus ratione obiectiua est indifferencia ad alias, & priuationem ipsarum, sed omnium necessaria, & determinata coniunctio.

Non ineptè concedi potest in diuinis compositio rationis.

CAPVT XIV.

I.

EX superiore capite constat compositionem rationis secundum se non esse impossibilem, atque adeò reperiri in creaturis: restat vt videamus an conuenire Deo possit. Negat Aureolus quodlibet. 5. art. 2. & in 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. & d. 8. quæst. 4. art. 1. Mayron. quæst. 7. art. 1. 3. p. articuli ad primam difficultatem. Soncin. 12. Metaph. quæst. 29. ad tertium, consentit Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus argumentorum Aureoli, siquidem reprobatur secundam solutionem Aureoli ad 4. argumentum, qua dicebatur esse absurdum admittere in personis diuinis compositionem rationis, & conceptuum fabricatorum per intellectum, & recipit tertiam, qua dicitur etsi in persona filij, sint plura secundum rationem, vel plures conceptus, non

tamen tacere compositionem, quia non habent vnionem: & ita à plerisque pro hac ipsa sententia adducitur, & immerito ab alijs in contrariam detorquetur, dicentibus Capreolum solum negare compositionem, quæ sit intrinseca Deo, in conceptu autem nostro, sicut admittit multitudinem, ita admittere compositionem, quam Deo inquit esse extrinsecam, sicut etiam Spiritus diuinus dicitur multiplex, & multiformis. Verum Capreol. admittit quidem in Deo multiplicatè rationis extrinsecam, quia multis conceptibus nostri intellectus responderet, compositionem vero etiam secundum hunc modum nunquam admittit: imò vero in responsione ad impugnationem tertie responsionis quarti argumenti expresse illam negat: nam, cum retulisset verba D. Thomæ concedentis in diuinis multiplicatè rationis propter diuersitatem conceptuum, quibus intellectus eandem rem multipliciter apprehendit, subdit hæc verba. *Ex quibus patet quod Deus dici potest multiplex, non tamen compositus secundum rationem.* Eodem modo, quo multiplicem concedit, negat compositum: concedit autem multiplicem secundum rationem, atque extrinsecè: eodem ergo modo compositum negat. Itaque clarius apparet ex ratione, quam subiicit. *Quia illæ rationes non componuntur ad inuicem in Deo, nec in intellectu, cum non habeant vnionem in intellectu ad inuicem, nec in Deo sint subiectiue,* quibus verbis excludit compositionem rationis intrinsecam, atque extrinsecam: intrinsecam, quoniam rationes illæ non sunt in ipso Deo subiectiue & compositæ ad inuicem: sunt enim in intellectu, vt ibidem de sententia D. Thomæ explicauerat: extrinsecam vero, quoniam rationes eadem in intellectu, in quo sunt subiectiue, non habent vnionem, quæ omnino requiritur ad rationem compositionis. Ex quo patet ita Capreolum concedere Deo multiplicatè rationis extrinsecam, vt eodem genere neget compositionem rationis.

In primis autem fauere huic opinioni videtur Anselmus lib. de incarnatione Verbi cap. 3. versus finem, vbi ait simplicia præstare compositis quantum ad simplicitatem & compositionem: & compositum omne necessario dissolui posse actu, vel intellectu: ex quo deinde inferit quod si Deus compositus est, aut nulla natura simplex est, aut aliqua natura est, quæ natura Dei præstant or est: quod enim nec actu, nec intellectu potest dissolui, maius est quam id, quod actu, vel intellectu dissolui potest. Similiter docet in Prosologio cap. 18.

Quid-

Aureol.

Mayronius.
Soncinus.

Capreol.

II.

Anselm.